Latitudinem Martis Jouis 2 Saturni per tabulas inuenire. ¶ Scias cuiuslibet horū centrū eq̄rū: 2 argumentū equatū per. 1. 8. 2 quodlibz per se scribe ad partē. Deinde si illud centrū eq̄rū est Martis: ipsum sicut est simplr dimitte. Sed si est Jouis: ab eo centro. 6. 20. minue. Si vō Saturni: ipsi centro 6. 50. adde. et cū eo quod prouenerit lineas numeri tabelle latitudinis triū superiorū que augmentant per. 6. 6. ingrediēre. 2 qđ in eius directo inueneris de minutis proportionalibus accipe. Deinde cū argumento vō planete iam seruato intra easdē lineas numeri. 2 qđ in directo inueneris de latitudine septētrionali vel meridionalis: sume hoc mō. Si n. fuerit eētrum vey planete cum suo addito vel diminuto a. 0. in gradibus vsqz ad. 6. 1. 6. 30. scz in 6. 90. vī a signis. 4. 6. 30. scz 6. 2 70. vsqz ad signa. 6. scz 6. 3 60. reperitū. scz in supiori parte tabelle. accipe latitudinē septētrionalē: que d̄ Effregion septētrionalis. Si autē predictum centrū fuerit a signo. 1. et. 6. 30. scz a 6. 90. vsqz ad. 6. 4. 6. 30. scz ad 6. 2 70. scz ex inferiori medietate. accipe de inferiori medietate latitudinē meridionalē: que dicitur Effregion meridionalis. Postea accipe de latitudine ista ptē proportionalem scđm proportionem minutoꝝ proportionaliū ad. 60. per. 1. 1. 2 illud qđ prouenit erit latitudo stelle in parte in qua inueneris eā. Deinde si latitudo alicuius ipsoꝝ fuerit septētrionalis. et argumentū verū minus signis. 3. scz 6. 1 80. erit ascendens. si vō plus descēdes. Si eodē modo erit si fuerit eius latitudo meridionalis. n̄ si tunc fuerit argumentū verum minus signis. 3. scz 6. 1 80. erit descendens. Si vō plus: erit ascendens. ¶ Dic est notādum: qđ si centrū equatū 2 argumentū equatū cū qđo intrāsi nō possis p̄cise inuenire: iterabile cum minor p̄pinq̄iori: 2 accipe qđ inueneris in directo: 2 extra scribe. Deinde intra cū maiori propinq̄iori: 2 accipe etiam quod inueneris in directo: qđ etiam extra scribe. Deinde subtrabe minorem de maiori. 2 residui accipe partē proportionalem scđm proportionem excessus numeri cū quo intrare debuisti tabellā ad numerū minorem cum quo intrasti ad. 6. qz illa tabula augmentat per. 6. Quam partē proportionalem adde eq̄tio n̄ p̄cise: si fuerit minor secūda. Et sic fac in omnibus tabulis que augmentant per sex 2c.



**Tempus Cōiunctionis vel Oppositionis verū luminariū: hoc est so. 91.**

Solis et Lune ad quodcūq; tēpus cuiuscūq; meridiani inuenire.

**U**nde ad hoc inueniendū necessaria sunt quatuor. Prīmū est ex tabula elongationis Lune a Sole inuenire mediā cōiunctionem: si volueris veram cōiunctionē. vel mediam oppositionē: si volueris habere verā oppositionem. Scđm est inuentio locorū Solis et Lu-

ne tempore cōiunctionis vel oppositionis propositæ. Tertium est inuentio duodecime partis lōgitudinis Solis et Lune. Quartum est inuentio motus Solis et Lune in vno minuto diei: vel in vna hora. Itēcirco eorum hic primo ponemus propositiones.

**M**opus Medie Cōiunctionis vel Oppositionis Solis et Lune per tabulam ad hoc factā inuenire. **R**educ totum tps̄ propositū ad diem in qua estimas cōiunctionē aut oppositionē fore. ppe ad 4; 2 et 1 scđm doctrinā prius traditam. Quo facto scribe radicem medie elongationis Solis et Lune prius. et deinde so. 97.

Intra cū quartū 2ē. in tabulā medie elongationis Solis et Lune directe eodē modo per omnia operādo: sicut dictū est in de medijs morib⁹. Et cū omnes introitus feceris: et numeros addideris: in eodē tempore est media cōiunctio ad qđ operatus es: si pueniant signa. 6. p̄cise. Et si tria: in eodē tempore est media oppositio. Si vō nō prouenerit signa. 6. nec tria p̄cise: tūc si volueris inuenire cōiunctionē: subtrabe illud qđ prouenerit de signis. 6. et serua residuū. Si volueris oppositionē: subtrabe illud qđ prouenerit de signis. 3. et serua residuū. Quo facto quere illud residuū in tabulā medie elongationis. et si fuerint ibi aliqua signa: q̄re ea in p̄ma linea post lineā numeri. et si p̄cise totum numerus signorū et gradū 2ē. nō inuenieris: accipe minorē propinquiorē. et vide numex scriptū in directo in linea numeri. quē scribe extra. et sint dies. serua eos ad ptē. Deinde subtrabe illud qđ accepisti in tabulā. scz signa et gradus 2ē. a numero tuo quē habebas. scz a signis et gradibus 2ē. vt scias residuū. Tum quo intra tabulā eadē. Et si sint gradus in residuo: quere eos in p̄ma linea post lineā numeri. et si eos inuenieris: illud quod scriptū est in linea nūeri erit minuta dierū. scribe eos extra post dies prius seruatos. Si aut fuerint tot gradus: qđ nō poterint in p̄ma linea inueniri: tunc q̄re eos in scđa linea in illa pte vbi est cifra vel. 0. in p̄ma linea: vel minorē numex propinquiorē. et tunc illud qđ scriptum est in linea numeri sunt dies. scribe eos extra sub alijs p̄us scriptis. **Q**uo facto vide si aliqd sit residuū subtrahendo illud cū quo intrasti a nūero tuo. et illud iterum quere in eadem linea. Et si in residuo fuerint minuta et inuenieris in p̄ma linea. tunc illud qđ scriptū est in linea numeri sunt 2 dies. Si autem sint tot minuta qđ in p̄ma linea non poterint inueniri. tunc quere ea in scđa linea: in illa pte in qua est cifra vel. 0. in p̄ma linea. et tūc qđ scriptum est in linea numeri sunt minuta dierum. Et istas denominationes ostendūt tituli subscripti in pede tabulæ. Et isto modo opz̄te intrare donec totus numerus cōpleat. Et est similis modus op̄adi sere sicut in tabulā vbi orunt āni per 4; 2 et 1. Et scias qđ dies sic inuenti sunt dies cōplete computate a meridie diei p̄cedentis. Similr et minuta dierum 2ē. sunt cōplete: sicut āni menses et signa. et oia que inueniunt in istis tabulis sunt cōplete. Quo facto dies et minuta dierum et ceteras fractiōes: qđ inuenisti per operatiōem: adde tempori cū quo q̄suisisti mediā elongationē. et qđ post additionem prouenit: erit tempus cōiunctionis vel oppositionis medie. **S**i vero habitu cōiunctiōis volueris modo faciliōri inuenire oppositionē seq̄ntem. vel habitu oppositionis volueris cōiunctiōem seq̄ntem (eqlē. n. est tempus ytroblay) adde supra tps̄ quoduis istorū dies. 14. mi-

nuta diez. 45. 7. 5. 3. 4. 48. **C** Si etiam quadraturas volueris inuenire: Adde supra tempus conjunctionis dies. 7. minuta diez. 22. 2. 5. 7. 3. 1. 4. 54. 2. habebis quadraturam primam. Adde illud idem supra ipsas oppositionis: 7. habebis quadraturam secundam. **C** Vel si habita conjunctione volueris inuenire conjunctionem immediate sequentem: Adde supra tempus inuentum conjunctionis diez. 29. minuta diez. 31. 2. 50. 3. 7. 4. 36. **T**erminus est ab una conjunctione ad aliam. Et ita habebis ipsas conjunctionis vel oppositionis mediam ad meridianam Tolleti. **C** Si autem te in alio loco existente ad meridianum tuum velis reducere illud tempus: quod forsan alibi habuisti. Cognosce ipsam distantiam meridiani loci tui a meridiano Tolleti. Et si meridianus loci tui fuerit orientatior meridiano nostro: illud addas ad tempus conjunctionis 7. oppositionis etc. per nias tabulas inuentum. Si vero occidentatior: ipsum

**Q** subtrahes. 7. habebis ipsas coniunctiones 7. oppositiones ad meridianum tue regionis. **E**rum locum Solis 7. Lune hora medie conjunctionis cuiuscumque 7. oppositionis inuenire. **C** Scias argumentum Solis per. 15. 2. cum eo intra tabulam equationis Solis: 7. opere secundum doctrinam. 16. cognitam. 7. habebis verum locum Solis. **61** **C** Verum autem locum Lune habebis querendo argumentum Lune in tabula equationum Lune. 7. in directo inuenies equationem argumenti cum suis titulis adde vel minue: si cum argumentum non sint minuta. Si vero cum argumento sint minuta: fac pro illis partem proportionalem ut dictum est in. 11. hanc equationem adde vel subtrahes secundum quod ritul admonent: a medio motu. 7. pronenit verus motus lune. **C** In tempore. n. conjunctionis vel oppositionis pro facienda equatione lune non ingredimur cum eius centro: quod equatio centum nulla est. Nec etiam accipimus diuersitate diametri circuli breuis: quod minuta proportionalia nulla sunt: sed tamen cum equatione argumenti operamur. Et habebimus propositum.

**Q**uoddecimam partem distantie inter Solem 7. Lunam inuenire: ut fieri oportet in equando conjunctiones 7. oppositiones solis 7. lune veras. **C** Longitudinibus distantie eorum intra tabellam distantie primam etc. 7. g. et iii. ibi inuenta extra nota. Deinde cum minutis distantie intra in tabellam secundam distantie etc. 7. quod ibi inuenis ex minutis 7. secundis sub primis si ribe. quod si in distantia fuerint 7. intra tertio eandem tabulam minutorum. 7. quod ibi inuenis: sub primis inuenis posse. ita tamen quod minuta sub secundis portantur. Quod vero ex eorum aggregatione puenerit: erit quoddecima pars distantie inter Solem 7. Lunam.

**Q**uomodo Solis 7. Lune diuersum in uno die: vel in uno minuto diei vel in una hora inuenire. **C** Inuenio vero loco Solis 7. Lune: ut supra hora medie conjunctionis vel oppositionis per precedentem supras vide differentiam id est longitudinem inter verum locum veritatisque: ita scilicet subtrahendo minorem a maiori. 7. quod remanet est longitudo. Et vide cuius sit longitudo est. n. longitudo eius qui precesserit alterum in ordine signorum: id est tunc talis longitudo est Solis: si Luna nondum precesserit solis in conjunctione: vel nadir Solis in oppositione. Vel est Lune: si Luna iam transierit solem in conjunctione: vel nadir solis in oppositione. Hanc ergo longitudinem serua. et scribe iuxta longitudo Solis vel Lune: secundum quod oportet. Cuius longitudinis accipe quoddecimam partem: 7. ipsam eidem longitudini adde. 7. illius totius partiendo ipsum in duo media accipe medietatem: 7. eam cum argumento medio Lune cum quo inuenisti eius verum locum adiunge: si fuerit longitudo solis. Vel ab ea minue: si fuerit longitudo Lune. 7. quod pronenit: erit argumentum lune equum pro inueniendo motum lune equatum in uno minuto diei: vel in una hora: si volueris forte operari per horas etc. 7. serua ipsum. Deinde intra cum argumento solis in tabulam motus diuersi solis in uno minuto diei: 7. gradus in linea longitudo illi que descendendo augmentantur. Vel inferiori parte tabule est transuersaliter 7. gradus in linea

longitudinali que ascendendo augmentatur. & qđ in eius directo itineris de motu So-  
lis diuerso accipe: si posse potes eū inuenire: qđ est motus solis in vno minuto diei eq̄-  
tus. Si vđ non precise inuenias eū: fac partem p̄portionalē per. 1. 1. Deinde eodem mo-  
do intra eū argumentū Lune cū suo addito seu oimnino seruato: si posse potes ipsuz in-  
uenire. Si vđ non: fac partem p̄portionalē: vt supra per. 1. 1. & qđ in eius directo iue-  
nies est motus Lune diuersus in vno minuto diei. ¶ Si vđ (qđ forte oparis per horas)  
motum solis & Lune in vna hora volueris inuenire: Resolue signa argumentorum solis  
vel lune in signa cōiuncta. & cū illis intra tabulā Motus diuersi in vna hora intitulatā: 93  
eodem mō operādo vt iam fecisti in tabula motus in vno minuto diei: semp̄ faciendo  
partem p̄portionalē per. 1. 1. si opus fuerit. & habebis motū diuersum in vna hora: quo  
mediatē fuerit hora v̄iunctiois vel oppositiois. ¶ Et nota hic: qđ h̄ per istuz  
modū possis inuenire motū solis in vno minuto diei: vel in vna hora: in quocūq; loco  
eccentrici sui sit sol: Tamē motū lune in vno minuto diei: vel in vna hora per tabulas in-  
uenies solū qđ centrum epicicli Lune est in auge eccentrici sui: qđ est hora diuisionis v̄  
oppositiois Solis & Lune. Si igit̄ velis motum lune in vno minuto diei: vel in vna  
hora vbicūq; fuerit in suo eccentrico: Vex locum lune ad tēpus p̄positū inuenias. Deis  
de ad vnum minutū diei: vel ad vna horam post t̄pa p̄positum it̄ez inuenias locū lū-  
ne verum. Et tūc subtrabe p̄mum a scđo. & qđ remanet est motus Lune in vno minuto  
diei: vel in vna hora: scđm qđ opatus es. Consimilr̄ posset fieri de sole: subtrahēdo eius  
motum veruz p̄mo habitū a vero motu ipsius scđo habitum. & proueniens esset certior  
eius in vno minuto diei: vel in vna hora motus. ¶ H̄ nota qđ per ōsimilem modū po-  
tes inuenire motum eoz equatū in vno die. sc̄z p̄mo querendo v̄a loca earum ad tēpus  
ōsiderat onis tue. deinde ad vniū diem post. & tunc subtrahendo p̄mum a scđo. & habe-  
bis motum eorum in vno die equatum siue verum.

**T**empus igitur Coniunctionis & Oppositiois vere Solis & Lune ex supradic-  
tis si vis inuenire. ¶ Scias tempus medie cōiunctionis vel oppositiois eo-  
rum: vt supra. Deinde scđo scias vex locum solis & lune hora medie cōiunctio-  
nis. vel loca vtriusq; hora medie oppositiois: vt supra. & vniūquodq; seorsuz  
serua. Deinde vide si verus locus Lune sit in eodē gradu & minuto atq; scđo: in quo ver-  
us locus solis: Tunc cōiunctio vera & media sunt in eodē temporis p̄tēto. Vel si ver<sup>o</sup> lo-  
cus Lune sit etiam in eodem gradu & minuto & scđo in quo est nadir Solis: Tunc op-  
positio vera & media sunt in eodem t̄pe. Deinde tertio si sol & luna nō fuerint in eodem  
loco: tunc cognito motu solis & lune equato in vno minuto diei: vt supra. deinde motuz  
Solis in vno minuto diei subtrabe a motu Lune in vno minuto diei. & qđ remanebit  
v̄ Superatio lune in vno minuto diei. Postea vide quot sunt gradus longitudinis in-  
ter solem & lunam. Deinde superationi adde pro quolibet gradu longitudinis vno gradu  
a moto vnum scđm: pro quolibet minuto vniū tertium &c. hoc est dicere: si lōgitudō fue-  
rit ḡ. 5. ad de ad superationē tot̄ ḡ minus vno: id est q̄tuor ḡ. & hoc si luna fuerit in inferiori  
p̄te sui epicicli: id est si argumentū eq̄tū lune fuerit plus tribus signis. vel subtrabe si fue-  
rit in superiori parte sui epicicli: id est si argumentū equatum Lune fuerit minus tribus si-  
gnis. Et qđ post additionē vel subtractionem p̄uenierit: erit superatio equata. & eaz ser-  
ua. Quo facto redne totā longitudinē ad eandem denominationē. sc̄z ad ḡ vel ḡ &c. re-  
duc et superationem ad eandem denominationē. sc̄z ad ḡ. vel ḡ &c. Quo facto diuide lon-  
gitudinem per superationē. & qđ p̄uenierit in nūero quotientē: erunt minuta diei. scri-  
be ea ad partem. Et si aliquid remāserit post diuisionē: multiplica illud per. 60. & diuide  
per idem qđ p̄us. sc̄z per superationē. & numerus quotientis erunt ḡ dieiū. & pone ea post

minuta dierum plus fertata. Et si aliqd remaserit post diuisionē: multiplica iterum per. 60. et diuide etiā per idem quod prius. et numerus quotiens erunt 3 dierum. Et si adhuc remanserit aliqud: multiplica illud itez per. 60. et diuide etiā per idem quod prius. et numerus quotiens erunt 4 diez. et sufficit. Si tñ forte longitudo dicta esset minor q̄ super ratio: multiplica longitudinē per. 60. et postea diuide per superationē. et erunt 3 dierum. Et si fuerit aliqd residuū: operare vt ia; supra. Quib⁹ expeditis minuta et 3 dierū etc. que inuenisti per diuisiones adde cū tempore medie diuisionis vel oppositionis. et hoc si longitudo fuerit solis. Uel ea subtrabe a tempore medie diuisionis vel oppositionis: si longitudo fuerit Lune. et quod post additionem vel subtractionē prouenerit: erit tps vere diuisionis: si opatus es de diuisione. Aut vere oppositionis: vel valde propinquū: si operatus es de oppositione. Deinde ad istud tempus quere mediū motū Solis: et mediū motum lune: et argumentū mediū Lune et Solis. et equa solem et lunā scđm omnes p̄dictas stionem qua p̄beris. et si cōcordauerint in signis gradibus et minutis: sufficiat tibi. Si vō non cōcordauerint: subtrabe minorem de maiori. et remanebit longitudo. quā serua. Deinde super mediū motum Solis quem nunc vltimo habuisti adde motū Solis in vno scđo diei: et itez super argumentū. et equa solem vt prius. Quo facto amotū solis nunc in uento subtrabe motum solis prius inuentū. et quod prouenerit erit motus solis in vno scđo diei. Sicut facias de Luna. scz equa eam per vnu scđo diei post tempus ad qd equa-ssi eam. et subtrabe prius a scđo. et habebis motum eius in vno scđo diei. Quo facto subtrabe motū solis in vno scđo diei a motu lune in vno scđo diei. et prouenerit superatio. per quā diuide longitudinē. et numerus quotiens erunt 3 dierum. et si qd remanserit: multiplica eam per. 60. et diuide per idē quod prius. et erunt 3 dierum: et sic quātūlibet. Sile est si per motū solis et Lune in hora oparis per diuisionē q̄ resultatans est horz et cetera fractio nes horaz. Quo peracto tps istius diuisionis adde sup tempus ve diuisionis prius inuentum: si vltima longitudo fuerit solis. Uel subtrabe si fuerit Lune. et qd post adaditionem vel subtractionem prouenerit: erit tempus vere diuisionis diebus non eq̄tis. Ad quod tunc q̄re locum Solis et Lune: vt r̄q̄ precise equādo. et videbis propositam.

**S**ed quomodus iste inueniendi tempus coniunctionū vel oppositionū verum iam dictus: licet sit p̄ter ceteros maioris veritatis: Tamen quia laboriosius multum: maxime non exercitatus: Qui igitur vellet breuius et expeditius tempus inter mediam cōiunctionē et veram inuenire: posset operari hoc mō. habito tempore medie diuisionis vel oppositionis: ad illud tēpus verum locū solis et lune: et deinde eorum motū in vna hora per precedentia inuenio. et per modū iam dictū supra habita longitudine et superatione equata et seruata. Cum gradibus n̄is longitudinis et minutis n̄is superationis intra tabulā intitulatā: tabula inuentionis t̄pis inter coniunctionem vel oppositionē mediā et veram et horas et fractiones in angulo cōmuni gradibus longitudinis in latere tabule inuentis et minutis superationis in capite tabule inuentis accipe. Accipe et differētā scriptā versus dextrā et omnia scribe ad partem. Deinde cū minutis longitudinis intra tabulā intitulatā. Tabula altera inueniendi tēpus inter coniunctionem vel oppositionē mediā et veram in linea laterali descendente et cuius minutis superationis in capite tabule et minuta et scđa que in angulo cōmuni inuenies accipe: et si intrando cū minutis longitudinis in dicta tabula haberes tot minuta longitudinis q̄ ea non posses precise inuenire intra primo cū n̄ero minori propinquiori in tabula reposito. deinde cū residuo et minuto et scđa que inuenies adde horis et fractionibus quas prius inuenisti et serua. Deinde cū minutis longitudinis itez intra eandem tabulā et cū differētā scripta in capite tabule a latere minutoz superationis cū quibus intraisti et minuta et



scda que in angulo cōmuni inuenies adde differētie quā scripsisti ad partē. Deinde acci-  
 pe partem pportionalē huius aggregati sūm pportionē fractionū quas habes in sipe-  
 ratione vltra minuta ad. 60. et hoc facies cum tabula tabularū ad om̄ res calculationes. Et  
 q̄b̄ p̄ouenerit subtrahē ab horis et fractiōibus quas dixi seruari et p̄oueniet tibi t̄ps̄ in-  
 ter coniunctionē vel oppositionē mediā et verā q̄b̄ addas ad tempus medię coniunctio-  
 nis vel oppositionis si lōgitudō fuerit solis vel nadis eius vel subtrahē si lōgitudō fuerit  
 lune et p̄ueniet tibi tēpus vere diuisionis vel vere oppositionis diebus nō equatis vel  
 valde p̄p̄inquit. Si vero sine omni scrupulo falsitatis velles inuenire tēpus vere con-  
 iunctionis vel vere oppositionis. Ad t̄ps̄ ita inuentum quere loca vera solis et lune et si  
 sunt in eodē loco vel locis directā oppositis habes intentū: si v̄o fuerint in diuersis locis  
 iterum longitudinē et motū solis et lune in hora et superationē inuenias vt supra et per  
 motam dictū operare et p̄oueniat tibi t̄ps̄ verissime coniunctionis vel oppositionis de  
 quocūq; operatus es et ad illō t̄ps̄ debere queri loca vera solis et lune si fuerit opus.

Propositio vigesima nona.



**E**mpus Coniunctionis et cuiusvis planete cum quolibet alio iueni-  
 re. **C**ōsidera tempus et diem p̄p̄indorem diuisionis: vel quo est  
 mas eoz coniunctionē fore p̄pe: per estimationē rationabilē: scdm̄  
 q̄ poteris p̄pendere loca ipsorū in meridie. Et quere v̄a loca eozum  
 ad meridiem illius temporis. Et si tūc loca illoz planetarū cōueniūt  
 in signis gradibus et minutis et sc̄bis t̄c. tunc eodē tempore est v̄a  
 coniunctio eoz. Si autem vera loca illoz planetarū nō cōueniunt in signis et gradibus  
 et minutis atq; sc̄bis t̄c. tunc subtrahē motū minorē a maior. et illud q̄b̄ remanet: erit  
 longitudo. et est lōgitudō illius cuius motus erat maior. Quā longitudinē serua. Deinde  
 inuenias motū cuiuslibet illoz planetarū post tēpus in quo p̄mo equali in vno die se-  
 cūdam doctrinā traditam. Deinde considera vtrum ambo planete sunt directi: vel ambo  
 retrogradi. vel vnus sit directus: et alter retrogradus. Si ambo sint directi: vel ambo re-  
 trogradi. tunc subtrahē motū oīerū planete tardioris a motu oīerū planete velocioris. et q̄b̄  
 remanserit: erit superatio. serua eā. Quo facto reduc lōgitudinē que est iter ipsos ad idē  
 genus. sc̄z ad 2 vel 3 t̄c. Reduc etiam supationem ad genus filis denominationis ad q̄b̄  
 lōgitudinē reduxisti. sc̄z si longitudinē reduxisti ad. 2. reduc etiā supationē ad 2. et sic  
 de alijs. Quo facto diuide longitudinē per superationē: si potes: et nūerus quotiēs erunt  
 dies. Et si aliquid post diuisionē remanserit: multiplica illud per. 60. et postea diuide per  
 idē q̄b̄ p̄us. et nūerus quotiens erunt minuta diez. Et q̄b̄ post diuisionē remanse-  
 rit: multiplica per. 60. et postea diuide per idē quod q̄us. et nūerus quotiens erūt secū-  
 da diez. et sic procedes vsque quo tibi placuerit. Quibus expeditis tempus q̄b̄ iueni-  
 sti per diuisionem: adde tēpori ad quod q̄suisi vera loca illoz planetarū. et hoc si tūc  
 diuictio vera illa est adhuc futura: hoc est si planeta tardior p̄cedit velociorem. Vel  
 subtrahē ab eodem tēpore: si coniunctio vera est p̄terita: id est si planeta velocior p̄-  
 cedit tardiorē. Et tunc q̄b̄ post additionem vel subtractionē p̄ouenerit: erit t̄ps̄ con-  
 iunctionis vere. Et iste modus operādi est: cū ambo planete quoz diuictionem queris  
 fuerint directi. vel quādo ambo sunt retrogradi. In retrogradatiōe t̄c̄ intellige cum p̄-  
 cedere quim̄ n̄ns habet in signis gradibus et minutis t̄c̄. Si vero vnus eoz fuerit dire-  
 ctus. et alter retrogradus: per alium modū oportebit te opari. Et illud speccūngit: et cō-  
 tingere potest in coniunctionibus Veneris et Mercurij cum quibuslibet alijs. Potest etiā

L

contingere in coniunctionibus trium superiorum cum inferioribus: h' iter se non possint hoc modo coniungi: propter hoc q' quando sunt coniuncti equaliter distant a Sole. tunc et e'q'li- ter distant ab augibus epicycloz suorum: vel quasi equaliter. Cum igitur iueneris vno directus: et alterum retrogradum. tunc quere motum directi in vno die, et etia' motum retrogradi in vno die post tempus e'q'tionis. Quibus habitis iunge illos duos motus si mul. et per illud q'd prouenit diuide longitudine: vt prius dictum est. Et tunc considera si loc- us planete retrogradi fuerit minor loco planete directi: quia si sic: itaq' preterijt illa coiun- ctio. tunc subtrahere tempus q'd per diuisione' inuenisti a tempore ad quod quesuisti ve- ra loca illorum planetaz. Si vero planeta retrogradus fuerit plus in gradibus et minu- tis q' directus tunc coiunctio adhuc est futura. Quare adde tempus q'd exiuit per diuiso- nem ad tempus quod quesuisti vera loca illorum planetaz. et tunc unod post additione' vel subtractionem tuam prouenerit: erit tempus vere coniunctionis. ¶ Si autem volueris mil- lum posse scire tempus coniunctionis vere: oportet te ad illud tempus ad quod nunc iue- nisti planetaz va loca q'rere. et si iueneris eos in eodem loco: bene erit. Si vo non: tunc in- uenas distantiam eorum per subtractione' motus maioris a minori. et scias motu cuiusli- bet eorum in vno minuto diei per modum prius dictum sciasq' supatione: si ambo sint directi: vel ambo retrogradi. Vel iunge motus eoz in vno minuto diei simul: si vnus eo- rum fuerit directus: et alter retrogradus. et illud quod puenit vel per superatione' vel per motus simul adiunctos longitudine' divide: et numerus quotiens erunt in minuta die- rum. Et si aliquid remanserit: multiplica illud per. 60. et diuide per idē quod prius. et erunt 2 dies. et sic consequenter. Idē est de horis si per motu planetarii in hora operaris. Quo fa- cto tempus iam iuentu' per diuisionem adde cum tpe prius inuento: si coniunctio adhuc est futura. vel subtrahere ab eodem si coiunctio iam transiit. et quod post additione' vel subtra- ctionem puenierit: erit tempus vere coniunctionis. ¶ Motum autē cuiuslibet planete in vno die iueneris per. 24. Motum autē in vno minuto diei vel in vna hora regles iueniendo vera loca eius ad duo tempora per vnu minutu' diei distantia: aut per vnam horaz. Dif- ferentia namq' motus saluum erit motus eius in vno minuto diei: vel in vna hora: scdm q' operatus fueris. Et hec circa tempus coiunctionis eorum. ¶ Sed vt reo be facilius occurrerent querentibus: tabule quedam hic tabulis nostris sint inserte: que tempora ex- primunt in quibus erunt coiunctiones Saturni et Jouis: Saturni et Martis: et Jouis

d 57 et Martis: scdm mediu' motu' per tabulas nostras. scz Alfonso notate in annis dñi 10  
96 stri Jesu Christi. Unde vna coiunctio Saturni et Jouis scdm mediu' cui sum suum in  
d 58 his tabulis currit 5. 2. 2. 0. 1. 53. m. 37. 2. 29. Et sunt anni Christi Solares. 19. mēses.  
97 10. dies. 9. hore. 14. m. 59. 2. 36. vntus hore. Et hoc probauit. Et hoc si annis non fue-  
d 59 rit bisextilis. ¶ Et nota hic ante incarnatione' dñi nostri Jesu Christi per años. 5. mē-  
98 ses. 10. dies. 14. horas. 7. m. 39. 2. 36. hore vnus sunt media coiunctio Saturni et Jo-  
uis ad ficum medij mundi: hoc fuit post introitu' anni dies. 13. hore. 16. m. 20. 2. 23.  
mensis Februarij post meridiē dicti situs. Quoru' medij motus fuerunt Signu'. 0. g. 2.  
m. 11. 2. 12. 3. 52. 4. 54. ¶ Nota q' tu debes addere supra signa et g. 7c. que habuisti in  
coniunctioe media Saturni et Jouis fm tabulas nostras vt vidēs. 6. 4. g. 2. m. 58. 2. 2. 1.  
3. 5. 1. 4. 26. et q'd et additione' puenierit: erit locus medie coniunctiois Jouis et Saturni  
immediate sequens. Et isto modo facerent in pma triplicitate coniunctioes. 11. suppo-  
nendo q' dicta media coniunctio sit signi arietis vel alterius signi. Et in oibus quatuor tri-  
plicitatibus faciunt coiunctiones. 41. Et si inceperis a pmo minuto signi Arietis: vt vcrū  
est. 42. coniunctio fierent. 6. 4. g. 1. m. 52. 2. 56. 3. 8. 4. 46. et hoc sumēdo signa put accipitū  
tur in nostris tabulis. scz Alfonso. Et oēs prescripte coniunctiones. scilz. 41. sunt in annis

**L**ibris bifertilibus. 8 i 4. mensibus. 2 diebus. 2 6. m. 3 6. 2. 9. vnius diei. 7 hoc intelligē do in numero primam coniunctionē. Et hoc est multuz cōtra dictum Albumasaria in libro de magnis cōiunctionibus. **C** Nota q; Mars coniungitur Saturno in signo Lācri fm medium motū suū in annis Libris bifertilibus scdm istas tabulas in annis 30. men se. 1. diebus. scz. 19. horis. 13. m. 51. 2. 1. Supponendo q; dicta cōiunctio fuisset in prio minuto signi Canceri: erit sequēs coniunctio predictoz in predicto tempore vt iferino. 5. 1. 5. 38. m. 44. 2. 4. 5. 23. Et quo apparet: q; si addideris super gradus inuentos tempore medie coniunctionis 5. 8. m. 43. 2. 4. 5. 23. habebis locum imediate sequentis. Cetera in tabulis istis singulis facilia sunt studiosis astronomicis.

Propositio trigesima.



**I**mpus coniunctionis cuiuslibet planete cum quibet stellarum fixarū tue nire. **C** Scias pmo locuz illius stelle de qua volueris hoc scire: p. 13. Deide et scias verum locū planete ad tempus p̄p̄quum coniunctioi per estimationem. 7 videas distantia: hoc est longitudinem iter plane tam 7 stellam. Vide et cuius fuerit longitudo ipsa: an scz fuerit plane te vel stelle fixe per modum dictū in de coniunctione 7 oppositione lumi narium. Deide scias motum planete si est directus: vel motū retrogra dationis ipsius si est retrogradus: in vno die: vel in vno minuto diei: vñ in vna hora: per doctrinam in precedētibus traditā. Nec cures de motu stelle fixe in die 2c. qz mot⁹ eius sensibilis non est in tam paruo tpe. nec opantur hic cū superatione. ppter stellarū fixarū motus paruitatem. Deide lōgitudinem diuide per hunc motū planete vt supra iuentum in die 2c. scdm q; opari volueris. Et tempus quod per hanc diuisionē prouenerit: mo do dicto in coniunctionibus planetaz addas ad tps estimatū pus habituz: si longitudo fue rit stelle fixe: 7 planeta directus. vel si lōgitudō fuerit planete: 7 ipse retrogradus. Si vō lōgitudō fuerit planete: ipse directus. vel si fuerit stelle fixe: 7 planeta retrogradus: tē pus qd habitum est per diuisionem supradictā subtrahat a tempore estimato. 7 qd post additionez vel subtractionem prouenerit: erit tempus q̄sitū: vel tempus sibi valde p̄pin quuz qd vt habeas precisum: reitera pluries si oportet: donec veritas rei tibi occurrat.

Propositio trigesima prima.



**I**ntritus Solis 7 Lune ac Planetaz in quocūq; signum: vel in quacūq; partem celi inuenire. **C** Solis igit̄ intritus in Ariete: qui qdem frequentius querit: vtputa singulis annis: reliqs qui se similit̄ hnt sit exempluz. Si igitur hoc volueris inuenire: Quere verum lo cum Solis ad tempus p̄pinquuz estimationi tue. scz ad temp⁹ quo estimas q; Sol parum distet ab Ariete. Quo inuento si tunc ip̄suz in uentus Solem in p̄ncipio Arietis tps acceptū est tempus q̄sitū. Si aut̄ ipsuz non inue 99 nias in p̄ncipio Arietis vt supra. vide distantia eius. i. longitudinez ab Ariete. quā scias per subtractionez veri motus solis a. 6. signis. Qua distantia scita: reduc eā ad idē gen⁹. scz si sint ibi minuta 2 2 7 2c. reduc totum ad 3. Quā distantia scita. Postea scias motuz Solis in vno minuto diei: vel motū Solis in vna hora: p. 28. quem reduc etiam ad idē genus consimilis denominationis ad quā reduxisti distantiaz solis ab Ariete: videlicet si reduxisti distantia solis ab Ariete ad 3 reduc et motū solis in minuto diei vel i hora ad 3. Quo facto diuide distantia per motū solis in vno minuto diei: vel in vna hora. 7 nuerus

quotiens erūt minuta dierū: vel hore si per motum solis in vna hora diuisisti. & serua ea ad parrem: & scribe supra ea suos titulos. Postea si remāserit alius numerus post diuisiōnem: multiplica illū per. 60: & qđ prouenerit diuide per idē qđ prius. scz per motū solis in vno minuto diei: vel in vna hora ꝛc. & nūerus quotiens erit: & dierū vel minuta hore, serua ea post pmo seruata. scz in. vel hore. Deinde si qđ remāserit post diuisiōnem: multipli ca iterū per. 60. & qđ prouenerit diuide per idem vt prius. & nūerus quotiens erit: & die rum: vel ꝛ hore. & serua ea post in. & ꝛ. vel post hore & in. referenda singula singulis. Et si remāserit aliqđ qđ diuidi non possit: de eonō sit cura: qz opatio satis p̄cisa est. Quo fa cto vide minuta dierū que inuenisti: si sint plura q̄. 60. pone pro. 60. vñū diez. Vel si in hore plus hore. 24. proueniret: pone pro. 24. vñū diem: & residū maneat in loco suo. Quo facto ip̄s qđ ex tali diuisiōe prouenerit: addas ad tempus tuū p̄b̄ acceptū: si sol nō dū puenit ad p̄ncipiū. i. p̄mū minutū Arietis. vel ab ip̄o minue: si iam trāssuerit p̄ncipium. i. p̄mū minutū Arietis: & qđ post additionē vel subtractionē puenierit: erit ip̄s in troitus solis in p̄ncipiū id est p̄mū minutum Arietis: vel ip̄s sibi satis propinquū. Qđ vt hēas certum: cū tpe qđ prouenerit ore verū locū solis. & si puenit. ā. o. m. o. ꝛ. o. ꝛ. o. ꝛ. o. ꝛ. o. illud erit ip̄s introitus Solis in p̄mū minutū Arietis. Similit̄: reitera totiens per modū dictū in p̄cedē tribus p̄positionib̄: quoniam in p̄ncipias ad v̄tatem. & erit ip̄s nō equatū ad qđ vel cui quo debet q̄ri loca planetarū. Et scdm̄ qđ dixi tibi de introitu solis in Arietē idem itellige de alijs signis. ¶ Nolo tū te latere: cū habueris in aliquo āno tibi noto introitus solis in Arietē: vel in quocūq; aliud signū bene verificatū: poteris per omnem vitā tuā hoc facillē habere per tabulā reuolūtiōis ānoꝝ mundi in fine harū ta bularum positā. Sicut per eūdem modū vt dixi poteris iuenire introitū Lune & aliorum planetarum in quocūq; signum: & in quacūq; partem celi volueris. Et valet hocope rari volentibus scire introitus planetarum in imagines celestes.

Propositio trigesima secunda.

32

117  
118  
119



**T**empus Eclipsis Solis vel Lune in quocūq; in se āni: duratiōem & quātitatē ipsius: & qñ erit ip̄sus p̄ncipiū: mediū: atq; finis per tablas ad hoc factas iuenire. ¶ Tabularū tñ inferentū eclipsibus sunt plu res. scz Tabula Argumētū latitudinis Lune: Tabule diuersitatis aspe ctus: Tabule eclipsium: que sunt duplices. Quedā. n. sunt tam Solis q̄ Lune: in q̄bus latitudo lune pro lineis nūeri describit̄. & in istis opz te intrare cū latitudine lune visā. Et qđā sunt in q̄bus Argumentū lune describit̄ pro lineis nūeri. & in illis opz te intrare cum argumento latitudinis lune. Sunt & alie tabule: quas tituli & inscriptions manifestant. ¶ Ex his tabulis eclipsim extrahere: plura que concurrunt: p̄positionibus distinctis ordine subsequuntur.

115

**S**emidiameterum Solis & Lune & circuli ymbre in loco trāssitus Lune iuenire. ¶ Cum argumento solis mediāte quo inuenisti eius eq̄tionē hora vere duratiōis vel oppositiōis itra tabulā que in titula Tabula ad inueniendū semi diameterum Solis & Lune ꝛc. & in directo iuenies semidiameterum solis sub suo titulo. ¶ Eodem mō cum argumento lune itra eādē tabulā: & in directo hēbis semi diameterum lune: & semidiameterū ymbre: quodlibet sub suo titulo. Et itra semp cū dupli cū introitu: si oportet. ¶ Sed nota qđ semidiameter ymbre hic posita supponit Solem esse in auge sui eccentrici. & sic non haberes semidiameterū ymbre per illā modū: nisi quā do sol est in auge: id est qñ nullū est argumentū solis. Si aut̄ sol fuerit alibi q̄ in auge:

tunc cum argumento solis intra eandem tabulā: et accipe illud quod est in directa linea: que intulit Variatio ymbre. et intra bis si oportet et illud quod prouenerit subtrahere a semidiametro plus inuenta. et remanebit semidiameter ymbre equa ad locū solis seu distantia.

**P**ossibilitatē necessitatēque eclipsis inuenire. **C**ōmoditate possibilitatis necessitatēque alicuius eclipsis plus habita: nō frustre erunt labores in inueniendo eclipsim. Possibilitas igitur eclipsis solaris tpe diuinctionis: vel lunaris tpe oppositionis bis modis inuenit. Inuenio tpe verissime diuinctionis vel dissimile oppositionis vel ut plures volunt tpe tū medie diuinctionis vel medie oppositionis bito per 28. Quere ad illud tpe argumentū latitudinis lune equū: vel scōm alios argumentū latitudinis Lune mediū idifferenter quocūque libuerit. Quo inuenio si reperit Signū. 0. 99 et minus 5. 1 2. vel sig. 5. et plus 5. 48. vel signa. 3. et minus 5. 1 2. vel. 2. et plus 5. 48. dic eclipsim fore possibilem solarem. scilicet si opatus fueris ad tpe coniunctionis. et lunare: si operatus fueris ad tēpus oppositionis. Si autē extra istos terminos reperierit: dicunt eclipsim fore impossibilem. Alij tamen ad hoc inuestigandū operantur cum vera diuinctione: vel cum vera oppositione: ad illud scilicet tpe inueniendo argumentū equatū latitudinis lune: et ad oīa ultra operanda ut supra. Potes ergo quocūque istoz modoz ad libitum operari. sed cōtra lo tibi: ut oibus his modis opereris anteq̄ dicas aliquā eclipsim fore impossibilem. Nam si omnes hi modi fuerint concordēs in impossibilitate eclipsis: dic libere et secure eclipsim fore impossibilem: et aliter non. Et si vnus solus horū modoz dicit tibi possibilem. tate eclipsis dic libere et secite eclipsim fore possibilem. Et sic apparet quod ad negationē eclipsis hi modi scurrunt. et ad affirmationē eiusdem vnus solus horū modoz sufficit. **C** Sed tū quod sepe reperit possibilitas eclipsis alicuius per argumentū latitudinis Lune: quā tū nō necessitas est fieri eclipsim. Est ergo regula Albategni de necessitate eclipsis solis talis: quod inueniant semidiameter Solis et semidiameter Lune tpe verissime diuinctionis: et iungatur simul. Et ad idē tempus inueniat latitudo lune visa. et tunc si latitudo lune visa fuerit equis aggregato ex semidiametris Solis et lune: transibit Luna prope solem: et nō eclipsabitur Sol. Et si latitudo lune fuerit maior: impossibile est fieri eclipsim solis. Sed si latitudo fuerit minor: quā aggregatū ex semidiametris: necessario sit eclipsis solis. **C** Nota 116 est si latitudinē lune visam nō inuenieris in aliqua tabularū eclipsis solis: nō eclipsabit sol. Si vō eam inuenieris in alterutra tabularū: vel in ambabus: necessario eclipsabit. **C** Necessitatē autē eclipsis lune hoc modo inuenias: Lōpara latitudinē lune ad aggregatū ex duabus semidiametris ymbre et lune. Tunc si latitudo lune fuerit maior: quā aggregatū ex duabus semidiametris: impossibile est fieri eclipsim. Si autē latitudo Lune fuerit equis tali aggregato: transibit luna prope terminos ymbre: et non eclipsabitur. Sed si latitudo fuerit minor isto aggregato ex semidiametris: necessario Luna eclipsabitur. **C** Scitur etiam aliter necessitas eclipsis lune per tabulā eclipsis lune: et per latitudinē Lu 123 ne: ut si latitudo lune tpe verissime oppositionis nō inuenit in aliqua tabularum eclipsis Lune: impossibile est fieri eclipsim lune. Si vō inuenitur in altera earum vel in ambabus: necessario sit eclipsis lune.

**H**is visis ad opus diuersitatis aspectus iane in longitudine et latitudine hora de diuinctionis Solis et lune: ut per eā horam visibilia cōiunctionis: que est medium eclipsis solis inueniat accedamus. **C** Notandum quod tabule quibus hic videtur de diuersitate aspectus lune in longitudine et latitudine sunt facte luna exi. Nente in auge sui operētis et ēt in auge sui epicicli: et cū hoc in principio cuiuslibet signi. Et ergo si luna nō fuerit in istis locis: tūc oportet te equare diuersitate aspectus pro loco solis: et ēt pro loco epicicli et eccentrici in quo est luna. **C** Nota et quod diuersitas aspectus lu

ne posita in tabula nō est tota diuersitas aspectus eius: sed est residuū manens post sub-  
 tractionē diuersitatis aspectus solis a diuersitate aspectus Lune. 2 pprie vocatur hec di-  
 uersitas aspectus lune ad solē. ¶ Cum igitur volueris scire diuersitatem aspectus 2 alia  
 posita: Scias pmo tempus verissime diuisionis p sebus non equis. 2 ad idē ipsa scias ve-  
 ram locū Solis 2 Lune: 2 argumentū vep latitudinis lune. 2 hoc vocat argumentū la-  
 titudinis lune scdo equum: qz argumentū latitudinis Lune pmo equatur esset argumē-  
 tum latitudinis equum ad ipsū medie diuisionis. Scias et ad tempus predictū motum  
 lune in hora vna acceptū per argumentū equum lune mediante quo iuenisti equationē ar-  
 gumentū tpe verissime cōiunctionis. Et scias sicut motum solis in vna hora per argumē-  
 tum Solis: mediante quo eodē tpe iuenisti equationem solis. Et sicut scias superationē Lunę  
 in vna hora. Et hoc totū fac scdm doctrinā in precedentibus tractatā. Et oia predicta  
 serua: qz cū ipsis in sequētibz operaberis. ¶ Deinde cum vō loco solis qre equationē die-  
 rum cū noctibus suis. quā reductā ad horas 2 fractiones horaz scdm qd p̄us dicitur est:  
 adde tēporū verissime diuisionis diebus non equis. Et tunc ad idē tempus scias gradū  
 ascendente: 2 gradū medii celi: 2 et ascensionē gradus solis 2 lune: 2 ascēsiōes gradus  
 ascendente: 2 gradus medii celi in horizōte recto. Que et serna. ¶ Quibus habitis scias  
 vtrum luna tpe verissime diuisionis diebus equis sit supra terrā: aut sub terra: id  
 est vtrum hora istius diuisionis sit in die vel in nocte. Hoc autē scias sic. Si luna fuerit  
 inter gradum occidentē 2 ascendente scdm ordinē signoz: tunc Luna erit supra terrā:  
 aliter vero est sub terra. ¶ Si vero fuerit sub terra hoc est: si cōiunctio fuerit in nocte: ni-  
 hil cures de ea: quia eclipsis nō erit visibilis. 2 marie si fuerit p̄fide in nocte. posset tñ esse  
 ppter ortū Solis: vel parū post occasū: qd aliqua ps eclipsis videret. ¶ Si aut luna tē-  
 pore cōiunctionis fuerit supra terrā scias an ista diuictio sit ante meridiē: vel post. Et hoc  
 isto mō. Si luna fuerit inter ascendēs 2 medius celi: hoc est qñ inter gradum ascendētes  
 2 locum lune sunt pauciores gradus q̄. 90. tunc diuictio est ante meridiē. Si vō Luna  
 est inter occidentē 2 medius celi: hoc est si iter gradum ascendente 2 locū lune sunt plu-  
 res gradus q̄. 90. tunc diuictio est post meridiē. ¶ Postea scias distātiā cōiunctio-  
 nis a meridiē per horas equas. 2 hoc isto mō. Subtrahere horas 2 minuta tpe verissime  
 cōiunctionis diebus equis a. 2 4. horis. 2 hoc si ille hore cōiunctionis fuerint plures q̄.  
 1 2. 2 remanebunt hore distātie cōiunctionis a meridiē. 2 sunt ante meridiē diei sequē-  
 tis. Si vō hore cōiunctionis fuerint pauciores q̄. 1 2. serua eas pro distātia cōiunctionis a  
 a meridiē: 2 sunt post meridiē ejuide diei. ¶ Iobabitur ergo hore distātie vep cōiunctio-  
 nis a meridiē: intra cuius eis tabulā diuersitatis aspectus Lune: que facta sit ad tuū clima:  
 112 vel que sit ppior latitudini tue regiōis. 2 intra sub signo in quo est Sol. 2 hoc in parte su-  
 113 periori. scz ante recessum: si diuictio fuerit ante meridiē. vel in parte inferiori: que intitu-  
 114 latur Recessus: si diuictio fuerit post meridiē. Accipe igitur minuta lōgitudinis in directio-  
 115 istarum horaz inuenta. 2 habebis diuersitatem aspectus Lune in lōgitudine: si cū horis nō  
 fuerint minuta. ¶ Si vō cuius horis fuerint minuta: intra itex easdē tabulas vna hora su-  
 peraddita: 2 accipe in directo minuta lōgitudinis vt p̄us. 2 scribe ea extra sub alijs. De  
 de scias differentiā inter minuta lōgitudinis nunc acceptē 2 p̄us accepta. De qua 2 aita-  
 rum fractionū que sunt vltra horas perfectas accipe pte p̄porzionalem ad. 60 minuta.  
 Quā partem p̄porzionalem adde minutis lōgitudinis pmo acceptis: si minuta scdo acce-  
 pta fuerint plura minutis pmo acceptis. Vel subtrahere ab eis: si fuerint pauciora. 2 p̄-  
 nuer diuersitas aspectus Lune in lōgitudine equata. supposito qd Luna sit in p̄ncipio signi  
 sub quo intrast: 2 et in ange epicicli 2 ecētrici. ¶ Si vō Luna nō fuerit in locis predictis:  
 tūc minuta lōgitudinis nunc inuenta vocant diuersitas aspectus in lōgitudine equa. p

horis hinc: hoc est pro horis distantie cōiunctionis a meridie. 7 tunc opz te equare diuersi-  
 tatem aspectus istā p zodiaco eccentrico 7 epiciclo. Primo si luna nō fuerit in principio  
 signi: tunc etiam itra sub sequenti signo cum horis distantie cōiunctionis a meridie. 7 in ea  
 dem parte tantū accipe minuta lōgitudinis in directo inuenta: 7 equa ē p minutis ho-  
 re. 7 habebis minuta horæ: eodē mō penitus operando sicut dictū est. 7 hēbis diuersita-  
 tem aspectus in pcedēt signo in lōgitudine equatā pro horis 7 minutis in pncipio signi  
 sequētis illud signū in quo est luna. ¶ De idē cōsidera differentiā inter minuta lōgitudi-  
 nis eq̄te pro horis 7 minutis signi in quo est luna: 7 ē ligni sequētis subtrahendō nume-  
 rum minōrē a maiori. de qua differentia accipe pte pportionalē scōm pportioēz gra-  
 dum: 7 minutoz: 7 aliarū fractionū signi in quo est luna pertransitoz ad totū signum:  
 id est ad. 30. g. 7 hoc fac scōm doctrinā datā in. 1. 1. Quam pte pportionalē adde ad di-  
 uersitatē aspectus eq̄tā pro pmo ligno: si diuersitas aspectus pro scōo signo eq̄ta fue-  
 rit maior. vel subtrahē eam a p̄ia si scōa fuerit minor. Et q̄ post additionē vel sub-  
 tractionē pueniet: est diuersitas aspectus eq̄ta p horis 7 minutis: 7 pro loco lune in zo-  
 diaco. ¶ Deinde si luna nō fuerit in auge epicicli: hoc est q̄n argumētū eq̄tum lune fue-  
 rit aliqd in signis aut gradibus 7 minutis. tūc diuersitatē aspectus iam inuenta opozet  
 te eq̄re pro remotione lune ab auge epicicli. Et hoc fac illo mō. Cum argumento lune eq̄-  
 ta hora verissime diiunctionis diebus nō equatis itra tabulā equatiōis diuersitatis aspe-  
 ctus. Et si tale argumētū ibi p̄ciso inuenieris: accipe in directo minuta pportionalia  
 in linea sup̄ qua est scriptū Epiciclus. Si v̄o tunc argumētū nō p̄cisē inuenieris: in a  
 pmo cū nūero minōri p̄p̄ndori in tabula scripto. 7 accipe in directo minuta pportiona-  
 lia: sicut dictū est. Deinde intra cum maiori nūero. imediate ibidē inuento: 7 accipe etiā mi-  
 nuta pportionalia in directo existētia. Deinde scias differentiā illoz minutozū pportio-  
 naliū subtrahendo numerū minōrē minutozū de maiori. de qua p̄ia accipe partēz p-  
 portionalē scōm pportioēz gradū 7 fractionū in argumento eq̄to cōtēntoz vltra li-  
 gna 7 gradus cū quibus primo inuēsti ad. 6. g. 7 hoc ē fac per doctrinā. 1. 1. Quā partē  
 pportionalē adde minutis primo acceptis: si minuta scōo accepta fuerint plura minu-  
 tis pmo acceptis. vel subtrahē ab eis si fuerint paucioza. 7 tunc post additionē vel sub-  
 tractionē habebis minuta pportionalia equata. scōm quoz pportioēz ad. 60. accipe p-  
 tem pportionalē de minutis diuersitatis aspectus in lōgitudine vltimo eq̄tis. scz pro zo-  
 diaco. Que pars pportionalis ostēdit quātū diuersitas aspectus sit augmētata propter  
 descensum lune in epiciclo. quā adde diuersitati aspectus p̄ia inuēne. 7 hēbis diuersita-  
 tem aspectus tribus modis equataz. scz pro horis 7 minutis: 7 pro loco lune in signo in  
 quo est. 7 eodē mō p loco eius in epiciclo. ¶ Et si luna nō fuerit in auge eccentrici: quod  
 scies isto mō. Si nullū fuerit centrū mediū lune hora verissime diiunctionis diebus non  
 eq̄tis. tunc in eodē tpe luna est in auge sui ecēntici. 7 hoc est q̄n diiunctio media est eadēz  
 cum cōiunctione vera. Si v̄o cētrum mediū fuerit aliquid in gradibus 7 minutis: tūc  
 luna non est in auge. tūc opz te equare p eccentrico. 7 hoc fac taliter. Cum cētro medio lu-  
 ne intra tabulā eq̄tionis diuersitatis aspectus. 7 intra cum duplici introitu: si opozet: id  
 est si centrū mediū non p̄cise inuenieris: eodē mō faciendū f̄it imediate superius di-  
 cum 7 accipe minuta pportionalia in directo existētia in linea que intitula ē Eccen-  
 tricū scōm quoz pportioēz ad. 60. minuta accipe partē pportionalē de diuersitate  
 aspectus lune vltimo inuēta. scz eq̄ta pro epiciclo. Et illa pars pportionalis ostēdit quā-  
 tum augmētata diuersitas aspectus p̄mter descēsum epicicli lune ab auge eccentrici.  
 Quā adde diuersitati aspectus in lōgitudine vltimo inuēnte. 7 p̄uenit diuersitas aspe-  
 ctus in lōgitudine oibus modis equata: scz pro horis 7 minutis: pro zodiaco epiciclo: et

